



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

at: quia Trid. loquitur de solo raptore, & leges præsertim pœnales non comprehendunt ea, quæ rarissimè fiunt, qualis est hic casus, nisi clare exprimant, l. 5. ff. de legib.

Q. 4. *Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Ne Papa quidem dispensare potest in impedimentis jure naturali dirimentibus, qualia sunt error, amantia, consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo transversæ, ligamen, impotentia, & secundum multos affinitas in primo gradu lineæ rectæ: nam Christus talem potestatem Ecclesiæ non concessit, ut patet ex praxi.

Resp. II. In aliis impedimentis, quæ solo jure Ecclesiastico dirimunt, solus Papa ut caput Ecclesiæ dispensare potest, saltem ordinariè loquendo; nam nemo potest dispensare in lege Superioris, nisi hoc ei concedatur: impedimenta autem illa sunt à Papa, vel à Conciliis Generalibus, vel consuetudine universali statuta; nec facultas in iis dispensandi Episcopis concessa est, ut constat ex usu ubique recepto. Quare Conc. Turon. an. 1183. ait: *In quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis, nec non cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus.*

Dixi, *Saltem ordinariè loquendo.* nam, ex communi sententia, Episcopus potest dispensare in impedimentis occultis post Matrimonium contractum & consummatum, si ista con-

concurrant. 1. Si Matrimonium contractum sit publicè seu in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, & bonâ saltem unius fide. 2. Si sit consummatum & sine scandalo separari nequeant, vel juxta multos sine gravissimo damno. 4. Si nequeat recurri ad Papam, ob paupertatem vel aliam causam, vel ob probabile periculum peccandi contrahentibus imminens ex tanta dilatione. Ratio est consuetudo ob bonum animarum & Ecclesiæ inducta, Papâ saltem tacitè consentiente.

Porro commissio dispensandi in impedimenti Matrimonii non expirat morte concedentis: quia respectu perentis jam gratia est facta, & solum requiritur executio. Quippe in hujusmodi commissionibus non relinquitur voluntati Ordinarii, aut Confessarii concedere vel negare dispensationem, sed ipsis præcipitur, ut dispensent inventâ veritate precum.

*Resp. III.* Ex consuetudine Episcopus dispensare potest in impedimentis impediens tantum, præter vota castitatis perpetuæ, & ingrediendi Religionem, utpote Papæ reservata. Adde sponsalia, obligant enim ex justitia jure naturæ. Porro si contrahentes sint ex diversis Dioccesibus, requiritur dispensatio amborum Episcoporum: quia unus non potest dispensare nisi cum proprio subdito.

*Q. 5.* Quid requiritur ad valorem dispensationis?

*Resp.* Requiritur tum ut causa finalis sit vera, & subsistat, dum conceditur: tum ut in petitione nihil omittatur eorum, quæ jus & stylus